





*1223, 13-6  
A7*

CHRISTIANI WILDVOGELII,  
JCTI ET ANTECESSORIS, ORDINIS JVRIDICI  
h. t. DECANI  
PROGRAMMA IN AVGVRALE  
DE  
**LEGIBVS IMPERFECTIS**  
AD TIT. I. §. I. VLPIANI CODICIS  
IN  
VNIVERSITATE JENENSI  
P. P.  
D. XXIV. OCT. A. O. R. M DCC XXIII.

---

IENAE  
APVD IOH. ADOLPH. KREBSIVM.

*Wilk. Rind. Schubert*

CHRISTIANI MUNDORGII

1673 ET ANTECESSORIS ORATIONES JURIDICAS  
ET DILECTUS

PROGRAMMA UNIVERSITATIS

LEGIBAS IMPREFFECTIS

AD DISCIPULUM UNIVERSITATIS

UNIVERSITATE TRENNSER

DIZIA OCTAVIUS MEDICUS

IENAE

ABD IOH ADOLEPH KRISTIN



\* \* \*



EGIS virtutem esse, imperare, vete-  
re, permittere, punire, Modestinus  
scribit in l. 7. ff. d. legib. ex qua vulgo  
divisio juris adstruitur, qua aliud  
permissivum, aliud præceptivum dici-  
tur. Vtrumque pro objecto habet  
actiones hominum naturales, par-  
ter ac civiles easque dirigit ad pu-  
blicam non solum, sed & privatam ipsorum salutem.  
Quod jam ad præceptivas leges speciatim attinet, sunt hæ-  
c iterum vel directivæ, & certam formam negotiis præscri-  
bunt, vel prohibitivæ, quæ voluntatem civium ita refran-  
nant & coercent, ut extra metas honesti non progredian-  
tur. Et omnes quidem in universum leges ita subditos  
constringunt, ut contravenientes in conscientia tuti esse  
nequeant, & si quispiam illis temere contravenire præ-  
sumat, justis mediis ad earundem obseruantiam, a superio-  
re compelli possit, imo debeat, alias inutilis plane esset  
lex & quasi campana sine pistillo. Ob hanc causam Vlpia-  
nus IMPERFECTAM vocat LEGEM, quæ nullam devian-  
tibus designat poenam, in Corp. suo tit. I. d. leg. §. 1. &  
exempli loco legem Cinciam allegat, quæ supra certum  
modum donari prohibebat, at si plus donatum fuerat, il-  
lud non rescindebat, quæ de re videatur Rosin. Antiq.  
roman. lib. 8. cap. 22. quin & MINVS PERFECTAM dicit  
illam, quæ yetat aliquid fieri, & si factum sit, non rescin-  
dit, sed poenam injungit ei, qui contra legem facit, d. tit.  
§. 2. qualis notante Vlpiano, erat Lex Furia testanentaria,  
quæ plus quam mille assium legatum, vel mortis causa pro-  
hibe-

)

hibe-

hibebat capere, & adversus eum qui plus ceperat, quadruplici poenam constituebat, de qua vid. Rosinus, d. l. cap. 18. Quanvis enim perfectio legis primario a voluntate legislatoris dependeat, & si publicatio rite facta fuerit, nihil ulterius ad ejus substantiam & validitatem requiratur: at tamen effectus ratione spectata, pro imperfecta merito habetur, si nulla poena in transgressores eidem sit inserta. Ita namque cum mortaliū natura comparatum est, ut plurimi non virtutis amore a viuis abstineant, sed poenarum metu deterri illos necessum sit, atque hinc potius harum comminatione, quam præmiorum propositione in officio retineri debeant, veluti contra Richard. Cumberland probat Pufendorff. de Jur. nat. & gent. lib. 1. cap. 6. §. 14. Reperiuntur nihilominus in jure quo in Imperio nostro utimur, exempla ejusmodi legum imperfectorum, quale Vlpianus annotat in l. 14. §. 14. d. reliq. & sume. fun. nimirum rescriptum Divi Marci, quod eum heredem, qui prohibet funerari ab eo, quem testator elegit, non recte facere, asserit, poenam tamen in illum non statuit. Sed & in Jure Canonico non paucæ harum legum imperfectorum vel canonum inveniuntur. Sic enim Innocentius III. Pontifex in cap. 16. X. d. Regular. Archibispoco Pisano prescribit, licet institutio Monachi ante unius anni probationem a sanctis patribus interdicta sit, non solum in utilitatem conversi, sed etiam monasterii, ut & ille asperitatem istius, & istud mores illius valeat experiri, si tamen ante hoc tempus præfinitum, ille qui converti desiderat, habitum receperit & professionem emiserit, vere Monachum esse censendum, subjuncta hac epistola: quod multa fieri prohibeantur, que si facta fuerint, obtingant firmitatem. Ex eadem ratione Alexander III. Papa, in cap. 4. X. qui cleric. vel vovent. edicit, quod licet votum matrimonium impedit, contractum tamen dissolvi ob id non debeat; nec non in cap. 2. X. d. cland. desp. dicit, etiam si matrimonia occulte contrahi, canones prohibeant, qui tamen ita contraxerunt, ab ecclesia non esse repellendos;

dos; quod responsum Idem repetit in cap. i. X. d. matrim. contract. contr. interd. scilicet, quod matrimonium contra interdictum ecclesiae vel judicis factum, propter hoc solum non debeat dirimi. Rationem vero, quare quædam prohibita fuerint, nec poenam contravenientibus irrogata, hanc inter alias reddit laudatus Pufendorff. d. tr. lib. i. cap. 6. §. v. quod legislatores multa pudori & honestati cuiusvis relinquerent voluerint. Ne tamen quispiam tales sanctiones, quæ poenam non habent adjectam, tanquam imperfectam pro lubitu contemnere presumat, gloriofissimi Impp. AA. easdem munimento quodam firmare voluerunt, in l. s. C. d. legib. gravissime mandantes, ut ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam haberi debeat, licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est.

Observandum id ipsum quam maxime est illis, qui causis in foro dicendis operam suam impendunt, aut ad consilia alii in negotiis civilibus suppeditanda adhibentur, ne in leges & illarum decreta impingant, nec per hoc litigantibus damnum inferant, sibimet ipsis vero ignominiam creent: namque peritia juris instructum debere illum, qui advocatorum consortio sociari desiderat, Imperator Leo præcipit in L. XI. C. d. advac. divers. judiciorum. quam legem uberiorius exponendam sibi elegit clarissimus honorum academicorum Candidatus

## WILHELMVS RVDOLPHVS SCHVLTES,

De cuius natalibus, studiis vitaque usque huc progressu, pro more recepto, pauca iam publice moneri juvabit.

Lucem is adspexit anno superioris seculi nonagesimo tertio, ipsis Calendis Novembris, in celeberrima urbe Arnstadio, prognatus illustribus parentibus, patre nimirum

MARTINO VOLCMARO SCHVLTES, Toparcha in Wal-  
lichen, &c. sacri palatii cæfarei Comite, Serenissimi Du-  
cis Saxo-Gothani tributorum receptore primi ordinis,  
itemque Serenissimi eo tempore Comitis Schwarzburgici  
Cancellario, ut & sacri Synedrii Praeside gravissimo, ma-  
tre vero, omnium virtutum nitore condecorata foemina,  
SUSANNA CATHARINA, ex gente ZIEGLERORVM,  
Cancellarii quondam & Consistorii superioris, quod Vina-  
ria est, Praesidis, Rudolphi Wilhelmi Krausii, Hereditaria  
in Mellingen, reicta vidua. Gloriatur insuper, quod ex  
stemmae antiquo & Jutorum feracissimo ortum ducat,  
maiores quippe ejus in duos veluti ramos divisi, ali nomen  
Schulziorum, alii Schultesiorum assunserunt, ex quibus post  
alios, Jacobus Schultes, Elbingensis Jurium Doctor, additionibus,  
in Coleri ante hac collegiorum in hac alma Uni-  
versitatis Praesidis ordinarii Decisiones, doctissime scriptis,  
famæ & nominis honorem est consecutus. Sacro lava-  
cro tinctus & in ecclesia christiana gremium receptus,  
postquam jam ratione uti coepit, partim ipsorum parentum  
cura, partim fideli præceptorum domesticorum informa-  
tione, religionis salvificæ fundamenta edoctus, itemque  
literis bonis usque dum in Scholam patriam mitteretur,  
fuit instructus. Patre postmodum ex vivis erepto, tutelam  
Ipsius Johannes Andreas Rothius, illustrissimi Comitis Haz-  
feldensis Director Cancellariæ & Consistorii, in se suscep-  
pit, & affectu vere paterno, quem etiamnum post fata ejus-  
dem pie deprædicat, est prosecutus, omnem namque ope-  
ram adhibuit, ut in addiscendis liberalibus artibus & de-  
crina ingenium ejus magis magisque excoletetur: quin  
& frater illius germanus Hieronymus Caspar Schulthesius,  
Serenissimi Ducis Saxo-Vinariensis Consiliarius, nihil omi-  
nit eorum, quæ ad peragendam felicius vitam conducere  
posse videbantur, hinc Informatoribus & Præceptoribus  
predicti Lycei Arnstadiensis omni laude dignissimis in pri-  
mis Rectori Treibero & Con-Rectori Freitagio tradebatur,  
quorum manuductione in omni literatura eruditiebatur.

Exhi-

Exhibitis postmodum speciminiis publicis ex consilio supra memorati fratris & curatoris sui, anno M DCC XIII. nostram accessit academiam & a Pro-Rectori magnifico *Ioanne Adriano Slevogtio*, qui etiam nunc hanc vices gerit, albo studiosorum inscriptus, quoad studia moresque formandos utebatur directione maxime reverendi *Christophori Wilhelmi Loeberi*, ordinis philosophici hucusque Adjuncti, iam vero Ecclesiarum & Scholarum in Ducatu Altenburgensi Inspectoris designati, cuius etiam scholas philosophicas cum fructu insigni frequentabat, atque emenso studio philosophico, ad Jurisprudentiam animatum appulit & *Institutionum* quidem *Juris* expositionem tam ab excellentissimo *Frisio*, Consiliario Saxo-Isenacensi aulico & consistoriali, nec non Antecessore celeberrimo, tum a Doctore *Dithmario*, Meinungensis Ducis Consiliario, percepit & partim auscultando, partim disputando solidissima legalis scientiae fecit fundamenta: Secutus postmodum excellentissimum *Struvium*, *JCtum*, hodie Consiliarium Saxo-Hildburghasanum, ut & Confutissimum *Döhlerum*, cum ille summi *JCti* & Parentis sui b. m. *Jurisprudentiam Romano-Germanicam* & *Compendium Lauterbachianum*, hic vero *Positiones juris Bayeri* dextre interpretaretur. Doctrinam præterea *Juris feudalis*, pariter ac *canonici* a jammodo laudato *Struvio* feliciter haulit, easdemque *Juris* partes in prælectionibus celeberrimi Jurium Professoris *Beckii* ut & excellentissimi *JCti Hannemannii*, quandam serenisissimi Principis Anhaltini Consiliarii privatissima informatione repetuit; Principia porro *Juris publici*, nec non modum orandi causas in foro, eodem Hannemanno præunte, addidicit; his denique superaddidit studium *Historiarum*, in quo sibi *Richardum*, Universitatis hujus, dum viveret, Bibliothecarium, ducem elegit. Absolutis hac ratione studiis academicis iter suscepit in confœderatas Belgii provincias, atque inde reversus post semestre spatium in prædium suum *Wallichen* concescit, rei œconomicæ ibidem operam impensurus:

337

surus: tandem effluxo anno Gotham præxos juridicæ exer-  
cendæ causa se contulit, & superato consueto examine,  
ab illustri Regimine, in judicis inferioribus æque ac su-  
periori litigantium causas tractandi facultatem publico  
decreto impetravit. Sic omnibus adminiculis probe in-  
structus, ab inculta Salana nostra, quæ studia ipsius inge-  
nua antehac fovit & ad maturitatem deduxit, testimoni-  
um eruditio[n]is sua petere decrevit, eumve in finem a  
J[uris]torum ordine ad consueta examina Candidatoria ad-  
mitti desideravit, in quibus talem se præstet, ut com-  
muni suffragio ad publica specimina edenda dignus habe-  
retur. Craftino igitur die legem XI. C. d. advocat. divers.  
iudic. e cathedra juridica exponendam suscepit, quem  
solennem actum, ut Magnificus Pro-Rector, aula & aca-  
demiae Proceres, Doctores, Magistri, & omnes qui hic  
studii incumbunt atque favent, præsentia sua honorifica  
& exoptata decorare velint, peroffciose & amanter rogo  
& obtestor, officia cultus & benevoli affectus reciproca  
promittens. P. P. d. xxiv. Octobr. A. O. R.

M. DCC XXIII.



6078

Jena, Diss., 1723

ULB Halle  
006 623 158

3



①





1823, 15-1  
17

CHRISTIANI WILDVOGELII,  
JCTI ET ANTECESSORIS, ORDINIS JVRIDICI  
h. t. DECANI

PROGRAMMA IN AVGVRALE  
DE

LEGIBVS IMPERFECTIS  
*AD TIT. I. §. I. VLPIANI CODICIS*  
IN

VNIVERSITATE JENENSI  
P. P.

D. XXIV. OCT. A. O. R. M DCC XXIII.

---

IENAE  
APVD IOH. ADOLPH. KREBSIVM.

Wilh. Rind. Schubert